TIT. VI.
DE FILIIS [1] ANTE DOTALIA INSTRUMENTA NATIS.
NOVELLA CONSTIT. XIX.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſimo ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

PErvenit ad nos dubitationem vanam quibusdam incidiſſe, ſi [2] quod ſancitum eſt a nobis de filiis procreatis ante dotalium celebrationem, poſtea dotalibus factis, non [3] etiam in præteritum feratur in iis quæ non decreto aut transactione ſunt terminatæ quæſtionibus. Nobis utique cum particulariter poneremus leges, expreſſim in prima [4] conſtitutione quæ hoc ſancivit memorantibus, ut ſive ſuperſint eis patres, ſive defuncti ſint, nondum tamen hujusmodi quæſtiones aut ſententiis aut transactionibus ſuſceperunt terminum: omnino ita judicari ſicut noſtra dicit lex, quam complentes, etiam ſecundam [5] poſuimus legem, eadem valere ſancientes etiamſi non poſt dotes procreentur filii, aut procreati moriantur, nihilominus & ante dotes natos legitimos eſſe, & in hanc quoque ſecundam noſtram conſtitutionem ſimiliter adjecimus, oportere ejus legislationem & ad ſeniora [6] referri tempora, exceptis [7] illis cauſis, quas aut judicialis ſententia, aut transactio terminavit. † Sed quoniam quidam poſt has noſtras claras leges audaci mente noſtram præſumpſerunt male interpretari legislationem & ſenſum: tertiam [8] coacti ſumus exponere conſtitutionem, per quam juſſimus, *ſi quis legitimam uxorem habens, & legitimos ex ea filios: deinde ea moriente, aut matrimonio repudio ſoluto, habuerit filios ex aliqua, ad quam nuptiæ non interdicuntur: poſtquam vero hi nati ſunt, dotalia confecerit in eam documenta: legitimos etiam ita ei natos filios exiſtere.* Sed quia in ipſa noſtra conſtitutione non adjecimus aperte valere hujusmodi legislationem, etiam in illis quorum patres adhuc ſuperſunt, aut defuncti quidem ſunt, contentio autem neque judiciali ſententia, neque amicabili interventione deciſa eſt: hinc quidam arbitrati ſunt nos nullatenus velle ea quæ in memoratis continentur legislationibus de filiis qui ante [9] celebrationem dotium nati ſunt, valere etiam in illis qui ante hujusmodi legislationem nati ſunt, & maxime eo, quod hujus pars in prima & ſecunda conſtitutione poſita, ablata ſit a nobis in Codicis compoſitione. Quod abſurde arbitrati ſunt. Juſtiſſime namque & primæ & ſecundæ hoc ſubtraximus conſtitutioni, & tertiæ non adjecimus. in particularibus namque poſitis legislationibus neceſſarium erat forte hanc accipere in præterito legislationis relationem: in omni vero coarcervatione legum Codicis cognominis noſtri recte abſcindere talia propoſuimus: quatenus non multitudo ſuperflua in Codice ſcriberetur. † Tertia vero conſtitutione non adjecimus aliquid de temporibus, cum omnibus manifeſtum ſit, oportere ea quæ adjecta ſunt, per interpretationem in illis valere, in quibus interpretatis legibus ſit locus.

CAP. I.

Ut caput ultimum Novell. XII. ad præterita pertineat nondum judicata aut transacta.

QUia vero omnino emerſerunt quidam & de ſic manifeſtis ſe dubitare contendentes, vel errantes, hanc adjecimus legem, ſancientes *in prædictis tribus conſtitutionibus factam a nobis legislationem valere*, in quibus etiam expreſſim primæ poſitæ a nobis legi adſcripſimus: hoc eſt, ſive ſupereſſe contigerit talium filiorum patres, ſive mori: nondum vero hujusmodi negotio aut decreto [10] aut transactione finis acceptus eſt: ſecundum hæc tales cauſæ ad leges a nobis poſitas deducantur: exceptis illis negotiis, quæ contigit ante leges a nobis poſitas aut decreto judicum aut transactione determinari.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & præſente ſacra declarata ſunt lege, tua ſublimitas manifeſta omnibus facere ſtudeat. Dat. 15. Kal. Aug. *Conſtantinop.* poſt conſulatum BELISARII V. C.

TIT. VII.
DE ADMINISTRANTIBUS [11] OFFICIA IN SACRIS [12] APPELLATIONIBUS.
NOVELLA CONSTIT. XX.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

JAm [13] quidem ſacram fecimus legem [14] *de appellationibus* eloquentem *quem oportet ſervari modum ſuper eis, & unde ad quos fieri appellationes quasque deceat:* quam tam ad tuam celſitudinem, quam ad glorioſiſſimum miſimus quæſtorem. Quia vero plurima facta eſt dubitatio de adminiſtrantibus eis officiis: cum ii qui ex ſacro quidem epiſtolarum ſcrinio ſunt ſpectabilium judicum, vindicarent ſibi appellationis miniſterium: qui vero ex ſede tuæ ſunt celſitudinis, maxime dicerent ſe lædi, ſi mutato ſchemate, nequaquam ſoli appellationibus miniſtrarent iis quæ a clariſſimis provinciarum judicibus veniunt, ad ſolum tuum judicium, ſicut prius erat dum in divino quidem ipſe audires conſiſtorio, miniſtraret vero officium [15] tuum: ſed propter ſpectabilium ſchema in ordine ſacri auditorii negotio moto, & pariter audiente tua celſitudine cum glorioſiſſimo noſtro quæſtore, utriusque partis totum ſibimet applicarent: congregatis apud tuam celſitudinem & glorioſiſſimum noſtrum quæſtorem ſæpius & iis qui ex ſacris ſcriniis appellationibus miniſtrant, & qui ex tuæ ſedis celſitudine & officio: noviſſime ad quandam formam cauſa perducta eſt, quam ex non ſcripto ad nos deduxiſtis. Cauſa vero nobis non incongrua viſa placuit: & interim, quoniam Paphlagonia & Honoria diviſæ prius in judices duos, in unum eundemque reductæ ſunt *Prætoris* nomen ſuſcipientem: hoc indubitate placuit ſchema tuo competere cingulo. Hoc idem & in duobus aliquando poſitis, hoc eſt, Helleſponto, & Ponto Polemoniaco: nam & illic duobus conſtitutis prius judicibus, nunc autem uno *Moderatore* facto, & decorato etiam ipſo *Spectabilium* dignitate, rurſus hoc proveniebat: & ad tuum ſolummodo judicium ferri appellationum lites oportebat, ſecundum terminum tamen conſtitutionis de appellationibus.

CAP. I.

Ut ſola cohors P. P. miniſtret in ejus appellationibus.

COmplacuit igitur ſimul iis quidem officiis utriusque adminiſtrationis, ſimul autem vobis ambobus inſuper & nobis recte ſe habere viſum eſt, ſolum officium tuæ celſitudinis talibus miniſtrare appellationibus, ſicut & prius fuit, & in ſchemate *ſacri auditorii* dicantur, & adſit glorioſiſſimus noſter *Quæſtor*, & particeps ſit geſtorum.

CAP. II.

SEd etiam quoniam *primæ* [16] *Cappadociæ præſes* prius ad tuum cingulum reſpiciebat ſolum, & tibi appellationes ferebantur: nunc autem in ſpectabilis *Proconſulis* figuram mutatus eſt, nihilominus competens eſt & illam adminiſtrationem appellationem ſuſcipientem & mittentem, hic litem ſecundum noſtram ſacram conſtitutionem in ordine ſacri noſtri auditorii eam examinari: præſente quoque glorioſiſſimo noſtro *Quæſtore*, & pariter audiente negotium, ſolo officio miniſtrante tuo: quoniam & prius hoc ſolitum erat: nam etſi ſpectabilis *Comes* [17] *domuum* permixtus eſt, tamen neque pridem multæ quædam movebantur cauſæ apud eum: neque ex judicio ejus ferebatur aliqua pene appellatio hic. Nunc autem quæ circa ærarii diſpenſationem ſunt, & aliis hæc quibusdam tradidimus: & non oportet ob hoc minui ſedem tuam: ſed ſimiliter tuum miniſtrare officium ſolum hic delatis negotiis.

CAP. III.

HOc ipſum etiam *in Armeniæ* [18] *Proconſule* [19]: quoniam prius adminiſtrationem eam ordinariam [20] facientes, & nunc nihil ei addentes, in *Proconſulis* figuram mutavimus. Etenim inde venientibus litibus tuæ celſitudinis miniſtravit officium, lite quidem in ordine ſacri auditorii (ſicut prædiximus) movenda apud eos: apud autem ambos vos examinanda: nihilominus autem officio tuo miniſtrante cauſæ, ſicut prius fuit, dum ſolum adminiſtrationis ordinariæ haberet ſchema, majore ordine non ſuſcepto.

CAP. IV.

QUoniam vero Lycaoniam [21] & Piſidiam & Iſauriam ſub [22] judicibus primitus conſtitutas, & appellationes deſtinantes ad ſedem tuam, nunc decorari *Prætorum* [23] cingulo contingit: licet videatur quodammodo permixtum quoddam ei etiam militare officium: quoniam prius & *Dux* in utraque harum provinciarum fuit: neceſſario nobis ſe habere placuit propter hanc novitatem, ſoli ſedi tuæ & glorioſiſſimo *Quæſtori* tradere appellationum examinationem: cedere quoque clementius tuo officio, ut iis quæ ſuper hoc aguntur, miniſtrent, unde ſive aliquid factum eſt tale prius, ſive etiam poſtea fiat: eundem ordinem cauſæ imponi ſancimus.

CAP. V.

QUia vero duæ [24] fuerunt miniſtrationes [25] pure & *Comitis Orientis*, & *Judicis primæ Syriæ*: & civiles quidem hujus adminiſtrationis appellationes ad tuam referebantur ſedem, officio adminiſtrante ſolummodo tuo: comitis autem Orientis, utpote ſpectabilis, in ſacrarum auditionum figura, ad ſedem tuam & glorioſiſſimi quæſtoris veniebat, ſolis qui ex ſacris ſunt ſcriniis miniſtrantibus.

CAP. VI.

SEd hoc in hac parte nobis bene ſe habere viſum eſt, in hac videlicet adminiſtratione commune dare miniſterium, & iis qui ex ſacrarum epiſtolarum ſcrinio ſunt, & qui ex officio tuæ celſitudinis: quod enim prius duorum vicariorum fuit Pontica [26] & Aſia, & omnino innovatum eſt, & in unius adminiſtrationem ſolius provinciæ mutatum (dicimus autem aliud Galatiæ, aliud autem Phrygiæ Pacatianæ) veniat quidem tam ad tuam celſitudinem, quam ad glorioſiſſimum quæſtorem: ſolum autem modo miniſterium ſuſcipiat officium ſedis tuæ.

CAP. VII.

ILlud tamen ſancimus, ut ex adminiſtrationibus nunc a nobis adinventis, & mutantibus antiquum ſchema, ſive hoc ipſum ſecundum naturam propriæ judicetur adminiſtrationis, ſive etiam ex delegatione noſtra, idem ſervetur ſchema: & ibi ſolum adminiſtrare officium tuæ celſitudinis ſancimus.

CAP. VIII.

SImiliter ſive ex delegatione, ſive ex cinguli natura appellatio veniat, officium tuæ celſitudinis miniſtrare appellationibus ſancimus: ſive etiam ex delegatione noſtra, ſimiliter officii erit tui.

1 *Nov.* 12. *c.* 4. 2 Id eſt: an quod ſancitum eſt. 3 Id eſt: pertineant etiam retro ad eas quæſtiones, quæ nondum decreto judicis vel transactione ſunt deciſæ. 4 *l.* 10. *C. de natural. lib. lata anno* 529. 5 *l.* 11. *C. de natural. lib. lata anno* 530. 6 Vid. *l.* 7. *C. de legibus.* 7 Utraque conſtitutio contra ſui naturam refertur ad negotia præterita, *d. l.* 7. Non referuntur tamen conſtitutiones ad ea, quæ ſententia judicum vel transactione jam ſunt deciſa. 8 *Nov.* 12. *in fin. lata anno* 535. 9 Liberis ante dotalia inſtrumenta naſcendis beneficium a Principe datum, ad eos, qui jam nati ſunt ante dotalia inſtrumenta, ex æquo & bono porrigitur. 10 Vis ſententiæ & transactionis hæc eſt, ut finita reſcripto non poſſint tolli.

11 De his qui in cauſis appellationum apparitorum officio funguntur. *Index apud* Cujacium: De provocatione Prætoris Paphlagoniæ ad Honoriados porrecta, & aliis provocationibus in diverſis temporibus porrectis. Julianus *conſt.* 25. 12 Ἐν τοῖς ἄκροις Scrimger. ἐν τοῖς σάκροις, Cujac. Sacra judicia appellationum ſunt, quæ in conſiſtorio ab ipſo principe per conſultationem diſceptantur, adhibitis prioribus palatii, & ſenatoribus, *Novell.* 62. *l.* 2. *C. de legib.* 13 Id eſt, antea. 14 Ultimam, *tit. Cod. de tempor. appellat.* quæ lata eſt anno 529. Cujacius intelligit *Nov.* 23. J. quæ hanc tempore præcedit, quod ut conſtet, vix ſcio: Hæc enim lata eſt Beliſario V. Conſule anno 535. Illa, poſt Beliſarium V. Conſulem anno 536. 15 Officium præfecti prætorio, præfectiani quæſtoris, memorialis. 16 De appellationibus primæ Cappadociæ. adde de prima Cappadocia, *Novell.* 8. *c.* 15. §. 24. 17 Κόμης τῶν οἰκείων Scrimger. τῶν οἴκων Cujac. *hic & 8. obſ.* 40. 18 De appellationibus Armeniæ. 19 *Alias* præſide. *Nov.* 8. *cap.* 15. §. 43. 20 Ὀρδιναρίαν ἔμβαθμον, Scrimg. Ordinaria, id eſt, minima, ſeu dignitas clariſſimatus; media enim ſpectabilitas, major illuſtratus. *Nov.* 7. 25. 102. adde *Nov.* 31. *cap.* 1. §. 3. 21 De appellationibus a prætore Lycaoniæ, Piſidiæ & Iſauriæ, Jul. *hic.* 22 Ὑπὸ ἄρχουσι, ſub Præſidibus. 23 Imo Lycaonia & Piſidia præſidem habet. *Novell.* 8. *c.* 15. §. 19. & 20. Iſauria comitem, *Nov.* 27. 34 Ut in Comite Orientis utrumque officium obſequatur. id eſt, præfecti prætorii & ſcrinii epiſtolarum. Jul. *conſt.* 25. 25 Adminiſtrationes. 26 Ut in Pontica & Aſiana, quæ translata eſt in Galatiam & Phrygiam & Pacatianam officium tantum præfecti obſequatur. *Julian.*

CAP-

CAP. IX.

IN quibus [1] autem commune diximus & tuorum officiorum & ſacri ſcrinii miniſterium, ſimiliter commune ſervamus, ſive ex delegatione, ſive (ſecundum quod diſpoſitum eſt) in judicio fiat examinatio. † Super illis tamen litibus quas non ſpectabiles judices judicant, *ſed advocati* ſolum, referatur negotium tam ad ſedem tuam, quam ad glorioſiſſimum Quæſtorem devotiſſimis *libellenſibus* [2] miniſtrantibus eis: quoniam dum nihil omnino ſuper iſtis innovatum ſit, antiquam ſervamus figuram, ſicut etiam in aliis omnibus non innovatis antiqua miniſteria manere in ſemetipſis diſpoſuimus, nulla novitate facienda: accedens namque novatio, aliter quodammodo oportere fieri etiam miniſtrantium oſtendit figuram.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem: tua celſitudo omnibus faciat manifeſta edictis deſtinatis a ſe: ut omnes cognoſcant quæ nobis ſunt placita. Dat. 15. Kal. April. CP. P. C. BELISARII V. C. 535.

TIT. VIII.
DE ARMENIIS [3].
NOVELLA CONSTIT. XXI.

Imper. Juſtinian. Auguſt. Acacio Proconſuli Armeniæ.

PRÆFATIO.

ARmeniorum regionem bene legibus gubernari volentes, & nihil ab alia noſtra differre republica, & adminiſtrationibus eam Romanis ornavimus, prioribus eam liberantes nominibus & figuris [4] uti Romanorum aſſuevimus, ſanctionesque non alias eſſe apud eos quam quos Romani nominant, diſpoſuimus, & exiſtimavimus oportere expreſſa lege illud quoque corrigere, quod male apud eos delinquebatur, & non ſecundum barbaricam gentem *virorum quidem eſſe ſucceſſiones tam parentum quam fratrum & alterius generis, mulierum* [5] *vero nequaquam* [6] *neque* [7] *ſine dote eas ad viros venire, nec emi* [8] *a maritis futuris*, quod barbarice hactenus apud eos ſervabatur, non ipſis ſolummodo hæc ferocius ſentientibus, ſed etiam aliis gentibus ita exhonorantibus naturam, & fœmineum injuriantibus genus, tanquam non a Deo ſit factum nec ſerviat nativitati, ſed tanquam vile & exhonorandum, & extra omnem competentem honorem.

CAP. I.

SAncimus itaque per hanc ſacram legem, & apud Armenios hæc ipſa tenere, quæ & apud nos occaſione ſucceſſionis fœminarum, & nullam eſſe differentiam maſculi & fœminæ: ſed ſicut & in noſtris legibus diſpoſitum eſt, ſecundum quam figuram heredes exiſtant parentum, hoc eſt, patris & matris, & avi & aviæ, & adhuc longius, vel eos qui poſt ipſos ſunt, hoc eſt, filii & filiæ, & quemadmodum ipſi hereditatem transmittant, ita apud Armenios eſſe, & nihil Armeniorum leges a Romanorum differre. Si enim noſtræ reipublicæ ſunt, ſerviuntque [9] nobis cum aliis gentibus & omnibus noſtris fruuntur, nequaquam ſolæ apud eos fœminæ noſtra æquitate repellentur, ſed omnibus ſub æquitate noſtræ erunt leges, quascunque & ex veteribus collegimus & in noſtris poſuimus Inſtitutis atque Digeſtis, & quæcunque ex imperiali legislatione tam priorum Imperatorum, quam noſtra conſcriptæ ſunt.

CAP. II.

HÆc igitur omnia valere per omne tempus ſancimus incipientia a principiis præſentis quartæ decimæ [10] *Indictionis* & hujus ſecundum quam hanc ſcripſimus legem. Nam & antiquiora perſcrutari, & ad ſuperiora tempora aſcendere, confuſionis magis quam legislationis eſt, ſed ex temporibus (ſicut prædiximus) præſentis quartæ decimæ Indictionis tantum & in ſubſequenti univerſo tempore ſucceſſiones maneant ſimiles: ex omni cauſa quæ in ſucceſſionibus relata eſt, ſimiliter in mulieribus, ſimiliter in viris de cætero ſervandis. † Quod autem prius factum eſt, omne manere in priori figura ſinimus, ſive in *progenitorialibus* [11], ſive in aliis factum eſt, nihil omnino communicantibus fœmineis perſonis ſuper jam diviſis *progenitorialibus* [12] prædiis aut factis ſucceſſionibus usque ad tertiam decimam indictionem & hanc, ſed ex memorato tempore, hoc eſt, quarta decima indictione, valere quæ a nobis ſunt legislata, ſancimus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem, tua magnificentia, & qui poſt eam adminiſtrationem ſuſceperint, in perpetuum cuſtodire feſtinent. Dat. 15. Kalend. April. poſt BELISARII V. C. Conſulatum [13].

1 Ut in quibus cauſis antiquo jure libellenſes obſequuntur, in his nulla fiat innovatio: & nihilominus hujusmodi miniſterium iidem ſoli impleant. *Jul.* 2 De libellenſibus adde *l. ult. C. ubi ſenat. l.* 32. *C. de appellationibus.* & Julianum *conſtit.* 25. 3 Adduntur in Scrimgeriana editione hæc, & ut ipſi per omnia Romanas ſequantur leges. adde Edictum Juſtiniani 3. J. Porro, quod multitudinis numero hic Armenias adjicit, ad omnes referendus eſt hic locus. Eſt enim alia magna, alia prima: alia ſecunda, *Nov.* 8. *cap.* 15. §. 23. 43. 22. 4 Σχήμασι, id eſt, Romanorum habitu. Locus hic ſane notandus eſt, & quem in commentariis noſtris plenius exponemus. 5 *l.* 14. *C. de legitimis hered. Nov.* 118. *c.* 4. 6 Ab Armeniis fœminæ olim excluſæ ſucceſſionibus ab inteſtato parentum, liberorum, fratrum, cognatorum. Eadem lex obſervata a Saliis, Anglis, Thuringis. 7 Indotatæ & ſine dote mulieres Armenicæ, ad viros ſuos migrabant. 8 Fœminæ emebantur a maritis apud Armenios. Mos idem Germanorum fuit, teſte Tacito. 9 Subditi a magiſtratibus victoribus leges accipiunt. 10 Id eſt, anno Chriſti 540. Hic annus fuit Juſtiniani octavus. Idem & antea conſtituerat Edicto 3. 11 Ἐπὶ γενεαρχικῶν. Genearchica, ſunt prædia quæ Princeps olim gentis vel generis alicujus familiæ ſuæ adſcripſerat. 12 ἐπὶ γενεαρχικῶν χωρίων Scrimg. ut & edicto in c. 1. Genearchica prædia a majoribus accepta. 13 Id eſt, anno 536.

COLLATIO QUARTA.

TIT. I.
DE NUPTIIS [1].
NOVELLA CONSTIT. XXII.

Idem Imperator Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfect. iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

PLurimæ quidem jam variæque poſitæ ſunt leges a nobis unicuique parti prius a nobis ſancitorum quidem aut diſpoſitorum, viſorum autem nobis habere non recte, ad meliora dantes viam & exponentes ſubjectis quo competat degere modo: hoc autem quod nunc a nobis fit, lex quædam eſt communis [2] omnibus & propria, rebus competentem ordinem ponens. *Si enim matrimonium ſic eſt honeſtum* [3], *ut humano generi videatur immortalitatem* [4] *artificioſe introducere, & ex filiorum procreatione renovata genera manent: jugiter Dei clementia, quantum eſt poſſibile, noſtræ immortalitatem donante naturæ, recte nobis ſtudium eſt de nuptiis. Alia namque omnia quæ ſancita ſunt a nobis, non omnibus competunt, nec hominibus, nec rebus, nec temporibus: ſtudium vero* [5] *nuptiarum totius eſt* (ut ita dicatur) *humanæ ſobolis: ex* [6] *quo etiam renovatur ſolo: & ampliori quam alia ſollicitudine dignum eſt.* † Antiquitas [7] equidem non ſatis aliquid de prioribus aut ſecundis perſcrutabatur nuptiis: *ſed licebat & patribus & matribus & ad plures venire nuptias, & lucro nullo privari:* & cauſa erat in ſimplicitate confuſa. † Majoris [8] autem Theodoſii temporibus amplior ſollicitudo facta eſt circa hujus rei tractatum, donec circumiens per cæteros imperatores, in *Leonem* [9] piæ memoriæ pervenit, virum fortiter atque viriliter etiam de iſtis plerunque ſancientem. Nos [10] autem in conſtitutionum compoſitione multa [11] quidem & alia de iſtis decrevimus: exiſtimavimus autem oportere nunc conſiliis perfectioribus cauſam conſiderantes etiam quædam corrigere, non aliorum ſolummodo, ſed etiam quæ a nobis ipſis ſancita ſunt. *Non enim erubeſcimus* [12] *ſi quid melius etiam horum, quæ ipſi prius diximus, adinveniamus, hoc ſancire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab aliis expectare corrigi legem.*

CAP. I [13].

Ut hæc conſtitutio in futurum valeat, non in præteritum.

DUo [14] igitur hæc præmittantur huic legi. † Et primum illud; Ut omnia quidem quæcunque in prioribus ſancita ſunt, ſive a nobis, ſive a prioribus noſtris, hæc valeant ſingula ſecundum propria tempora non habentia ullam ex præſenti lege novitatem: ſed & in ſuis caſibus valitura atque tractanda: & ſuos eventus ex iis quæ jam poſitæ ſunt legibus expectantia, & nihil communicantia præſenti legi. Præſentem vero legem ex nunc valere volumus in omnibus futuris caſibus, & in omnibus poſtea nuptiis, ſive prioribus, ſive [15] deinceps, & in poſteris aut futuris ſive nuptialibus lucris, ſive ſucceſſionibus quæ ex filiis ſunt: etenim quod quidem omne jam præceſſit [16] conſcriptis relinquimus legibus: quod vero futurum eſt, per præſentem munimus legem. Unde ſive ſecundæ provenerint nuptiæ, ſive parentibus ſucceſſiones ex prioris matrimonii filiis, ſive lucra ex dotibus, aut antenuptialibus donationibus, aut ex alia cauſa: ſive exiſtentibus ex ſecundo matrimonio filiis, ſive etiam non: in prioribus temporibus hæc ſerventur ſecundum ſua ſingula tempora: & fruantur tam viri quam mulieres prioris legislatione, ſive ad alias venerint nuptias, ſive etiam usque ad priores ſteterint: ſive ſucceſſerint filiis, ſive aliquid omnium egerint priores ſequentes leges. Illis enim credentes, & ita contrahentes *nullus culpabit quare non futurum* [17] *ſciverunt: & hoc quod videbatur* [18] *quidem & tractabatur omnibus modis crediderunt: quod vero nondum factum erat, non formidaverunt.* Unde illa quidem omnia maneant ſuum ſervantia ordinem: deinceps vero tempus in poſterioribus pariendis caſibus omnia in una hac lege poſita atque collecta reſpiciat quæcunque de futuris (ſicut dictum eſt) nuptiis competunt valere. Unum itaque hoc præmittatur legi.

CAP. II.

Ut pœnam hac lege ſecundis nuptiis conſtitutam, conjuges teſtamento ſibi remittere poſſint.

SEcundum vero illud: Ut omnia quæcunque ex hodierna die teſtator diſpoſuerit de talibus ſive vir ſive mulier conſiſtat, hæc valeant. *Diſponat* [19] *itaque unusquisque ſuper ſuis*, ut dignum eſt: *& ſit lex, ejus voluntas:* ſicut & antiquiſſima nobis lex & prima pene reip. Romanorum diſponens ait, (dicimus autem duodecim tabularum) ſecundum antiquam & patriam [20] linguam ita dicens, *Uti* [21] *legaſſit quisque de ſua re, ita jus eſto*, nullo valente citra illius voluntatem, nec ſi ſacram impetret formam, nec ſi quidpiam aliud omnium, aliquid aliter diſponere in rebus alienis. §. 1. Si vero nihil teſtator dixerit aut diſpo-

1 Περὶ τῶν δευτερογαμούντων. Scrimger. de ſecundis nuptiis, Jul. *Conſtit.* 36. de ſolutione ſecundarum nuptiarum, & de ſecundis nuptiis, *Index Regiæ bibliothecæ apud Cujac.* Goth. Ad hanc Nov. vid. Gudelin. *de Jure Noviſſimo, lib.* 1. *cap.* 11. 12. Rittershuſ. *in Expoſit. Nov. part.* 4. *cap.* 3. 8. Anſ. 2 Vid. *l.* 3. *Cod. de legibus.* 3 Facit Paul. *ad Hebr. c.* 13. *verſ.* 4. 4 *Nov. Leonis* 26. *l.* 220. *in fine. ff. de verb. ſign.* 5 Laus matrimonii. 6 Hoc dicit: Humanum genus Nuptiarum ſolo interventu reparari: ac propterea hanc de Nuptiis conſtitutionem majore ſollicitudine ſuſcipiendam eſſe. Nuptiis immortalitatem quandam generis humani Numa introduxit, *Theoph. Inſt. de jure natur.* 7 Jus vetus ad ſecundas nuptias pertinens. 8 *l.* 1. 2. 3. *C. de ſecund. nupt.* 9 *l.* 6. *C. de ſecund. nupt.* 10 Jus novum ad ſecundas nuptias pertinens. 11 *l.* 8. 9. 10. 11. *C. de ſecund. nupt.* 12 Pudor non eſt diſcere, quod ignores, adde *l.* 20. *ff. de fideicomm. lib.* nec pudeat, quæ neſcieris, te velle doceri, ſcire aliquid laus eſt, pudor eſt nil diſcere velle, *Cato.* Errorem ſuum corrigere poteſt Judex, Eccleſia, teſtis, Imperator. *Gloſſ. in cap. qualiter.* 17. *in verbo corrigere, extra. de accuſat.* 13 Hæc lex in futurum fertur, non in præteritum. 14 Hinc ſumpta videtur authentica, *ad eos, Cod. de ſecund. nupt.* 15 Id eſt, ſecundis. 16 Differt in eo lex a judice: hic enim de præteritis: illa de futuris ſtatuit. *l.* 7. *C. de legibus.* 17 Futuri ignorantia excuſabilis. 18 Communis error jus facit, *l. pen. in fin. ff. de offic. præt.* Imo non facit, *l. quod non ratione, ff. de legibus: l. Labeo. ff. de ſupellectile.* 19 Hæc lex non tollit conjugibus jus libere legandi. 20 Id eſt, Romanam, *ut Nov.* 30. *cap.* 5. 21 *tit. Inſt. de leg. Falc. l.* 1. *ff. ad l. Falc. l.* 120. *l.* 130. *ff. de verb. ſign.* adde *Novell.* 1. *in fin. l.* 1. *in princ. C. de ſacroſanct. eccleſ. LL.* 12. *tab. tit.* 19.

fuerit,